



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo**

**Le Mire, Aubert**

**Brvxellis, 1627**

55. Manumißionis formula apud Flandros anno 1193. vsitata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

S. Sigeri de Borenhem.

S. Lamberti de Domo.

Actum in domo mea MALEN, anno Dominicæ incarnationis  
1188. millesimo centesimo octogesimo octavo.

## NOTATIO.

NIVENELLA) hodie Neuele; Borenhem, seu potius Bornehem,  
celebres Baronix in Flandria.

## CAPVT LV.

*Manumissionis formula apud Flandros ann. 1193. usitata.*

**E**GO R. DE WAVRIN, Dominus Lilerij & Senescallus Flandriæ,  
omnibus tam posteris quàm præsentibus notum fieri in perpetuum volo, quòd Iulianam de Frigido manso, & Alburgim de Marefco, & earum progenies, quæ mihi & successoribus meis iugo seruitutis obligabantur, diuini amoris intuitu, & pro animæ meæ & carissimæ vxoris meæ SIBYLLÆ, & antecessorum & successorum meorum salute, liberè manumisi, & eas omnino liberas feci, eisquæ tanquam liberis abeundi quocumque voluerint, & sese quibuscumque voluerint ecclesijs commutandi potestatem liberam concessi; laudante pariter & concedente dilectissima vxore mea SIBYLLA, concedentibus etiam carissimo fratre meo HELLINO, & HILDRADE, & MAROIA & ADA sororibus meis; & R. de Senghin & GOSVINO patruis meis; & A. de Meallens, & I. de Spineto, amicis meis carissimis.

Ne autem prædictas Iulianam & Alburgim, vel earum posteritatem aliquis, sub nomine seruitutis, alia suppressere præsumperit exactione, ego & vxor mea, & omnes præscripti successores mei, eas vel earum progenies, à quibuscumque Ecclesiasticis personis manumittendas & sustinendas esse in sua libertate concessimus; rogantes, vt si quis eam infringere vel in aliquo minuere attentauerit, Ecclesiastica ad satisfactionem compellatur districtione.

Quod vt ratum & immutabile in perpetuum permaneat, præsentem tabulam tam sigilli mei appensione, quam testium annotatione communiui.

S. P.



S. P. de Maisnilio.  
 S. Ruffelli de Bosco.  
 S. Hellini de Fornes.  
 S. R. de Legra, & B. fratris mei.  
 S. Nicolai Riffard.

Actum apud Fornes anno Domini CIO · C · XCIII.

1193.

### NOTATIONES.

Mancipia, seruos & libertos posterioribus etiam sæculis apud Belgas, vt olim apud Romanos existisse, ex varijs Ecclesiarum nostratum monumentis constat. Horum nonnulla amicus noster Ferreolus Locrius in suo Chronico Belgico ad an. 868. recitat. Vide & infra ad an. 1243.

Dirum seruitutis iugum, Christiana libertate ac caritate indignum, Margarita Constantinopolitana, Flandriæ Comitissa, sustulit, & in Flandriam reuehi seuerè prohibuit, litteris editis, quas Infulis in archiuis Canonorum S. Petri adseruari, Molanus lib. de Canonicis commemorat.

LILERIUM) opidum Artesiæ, *Lilers*, in quo est celebre Canonorum collegium; de quo supra lib. 1. cap. 30. egimus.

FORNES) Furnæ, opidum Flandriæ; in quo celebris visitur Canonorum ord. Præmonstratensis Abbatia, S. Augustino sacra, qui iuuentutem docent, exemplo Patrum Soc. Iesu, Augustinianorum & Dominicanorum in Belgio.

### CAPVT LVI.

*Ecclesia de Rijke-vorsel & Malle à Ioanne Cameracensi Episcopo dantur Canonicis Antuerpiensibus an. 1194.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen. IOANNES, Dei gratia Cameracensis Episcopus, omnibus ad quos præsentis litteræ peruenerint in perpetuum.

De necessitate susceptæ administrationis astringimur, ecclesiasticarum personarum ita commodis providere, vt ipsis possessiones, pia fidelium deuotione collatas, & in posterum conseruemus, & etiam augmentemus seruatas,

X x

Ea-